



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XCVIII. De Destructione pontis quem Prutheni fecerant in flumine
Prigore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XCVIII.

De,

*Destructione pontis quem Prutheni
fecerant in flumine Prigore.*

Cum autem Prutheni per hunc modum non proficerent convenerunt iterum, & excogitatis variis modis, quibus inceptam malitiam perficerent, omnium sententia convenit in hoc, quod fieret pons super aquam (a) Prigore, & in quolibet sine pontis (b) propugnaculum firmum ad modum turris, & sic tolleretur omnis materia veniendi navigio ad Castrum Kunigsberg. Quod cum fratres in dicto Castro jam pene consumpti inedia considerarent, eligentes potius mori in bello, fame quam sic miserabiliter interire, venerunt armatâ manû navigio, & dum appropinqvarent ponti, fixis anchoris, venit ventus validus, & duxit eos violenter ad pontem, quod factum fuit Dei Providentiâ, & ascendentes Pontem invenerunt multos viros armatos in ipso, & in propugnaculis, ipsis viriliter resistentes, ortum fuit inter ipsos tam durum bellum, quale unquam visum fuit in hoc seculo inter paucos bellatores. Tandem misit eis Deus opem & auxilium de coelis, ut in dubitanter creditur, quia humanæ virtuti quasi impossibile fuit eis tantæ multitudini resistere, ut fugatis hostibus pontem & propugnacula, fratres funditus destruerent & delerent. In hac pugna quidam Frater Geverhardus natus de Saxoniam quosdam Pruthenos fugientes secutus, cuidam ex eis uno ictu caput amputavit cum gladio, de qua plaga idem vulneratus statim non cecidit ad terram, sed sine capite viâ, quâ coeperat cum aliis per spacium modicum ambulavit & ce-

Cc

cidit:

*Poppo de Oßerna VI. Mag. Generalis Ord. Teutonici.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.*

cidit: de qua re fratres & alii qui viderant admirati fuerunt ultra modum, asserentes nunquam talia se vidisse.

ANIMADVERSIONES.

(a) PREGELAM hodiè appellamus amnem, cui affidet Regiomontum. Antiquioribus autem dicitur PREGORA vel PRIGORA. Ita habet Nicolaus Jerochinus & Auctor *Chron. antiq. Germ. in form. 4. in Bibl. Electorali Regiom.* ut & primum urbis veteris Regiomontanae Privilegium Latino sermone scriptum à Conrado de Tyrberg, Anno 1286. Prid. Cal. Martii concessum. Sed & exteri omnem illum appellant Pregor, ut Andr. Angelus in *Annal. March. p. 105.* Sed Erasmus Stella *lib. II. antiq. Boruss.* nec eum cum recentioribus Pregelam, nec cum antiquioribus Prigoram, sed PERGULUM appellat.

(b) Bergfrieden habent Chronica Germanica.

CAP. XCIX.

De

Impugnatione Castris Kunnigsbergk.

Non longe post hic Henricus (a) Monte Nattangiorum Capitaneus congregato magno Exercitu, venit ad campum Kunigsbergk, ut impugnaret Castrum. Cui fratres cum suis armigeris occurrerunt, ex adverso se viriliter opposcentes: sed Henricus Monte prædictus videns à longe fratrem Henricum Ulenbusch tendentem balistam, accessit festinus ad eum dicens: hodiè te mittam in cælum, & transfixit eum lanceâ suâ graviter vulnerando, licet de hoc vulnere postea sanaretur: Hoc videns quidam famulus cum modicâ lanceâ, dictum Henricum vulneravit, & sic ei reddidit Talionem, de quo vulnere debilitatus cum exercitu suo infecto negotio retrocessit.

ANI-